

fi in multis contra eorum voluntatem. Sed id esse non potest, cum Votum sit voluntaria, ac deliberata promissio Deo facta. Ergo. Quartò: Quia si ex voto esset, plures non essent obligati, illi scilicet, qui illud nolent facere. Igitur dicendum est, omnes Ministrorum Sacros obligari ad castitatem ex solo Ecclesie Præcepto. Ita tenet Valentia disp. 9. q. 5. pan. 5. §. 1. Avera de Ord. q. 4. sect. 7. §. præferendus, qui alios DD. allegat.

Tertia Opinio est, quòd hæc obligatio æque nascatur tam ex Voto ordinatorum in Sacris, quàm ex Præcepto Ecclesie: ex Voto, quòd quilibet facit, & tenetur facere assumendo Ordinem Sacrum, cum ita statutum sit ab Ecclesia, ut volentes ordinari in Sacris promittant castè vivere, prout est textus in prima opinione relatus. Nec obstat, quòd nemo explicitè hoc votum faciat; quia si verbis, & ore non facit, illud emittit facto; scilicet suscipiendo Ordinem. Nec dici potest, quòd plures voveant inviti, & contra suam liberam voluntatem; siquidem cum quisque sciat Ordini Sacro annexam esse hanc obligationem vovendi castitatem, statim ac illum vult suscipere, & suscipit, voluntariè censetur vovere. Quòd si daretur aliquis ignorans hanc obligationem vovendi, vel qui intra fe diceret, nolo vovere, nec me obligare ad Castitatem, adhuc esset obligatus ad illam ex Præcepto Ecclesie, & absolvi non posset in foro conscientie, nisi admonitus de obligatione vovendi, voveret; cum eligendo statum Clericalem in Sacris, tenetur etiam ad emittendum votum castitatis. De Præcepto autem Ecclesie constat ob plurimos canones hanc obligationem continentiam in Ministris Sacris præcipientes, & potissimum in cap. 1. §. segg. dist. 31. Item cap. 1. cap. si quis eorum dist. 32. Concil. Elliberitanum, de quo supra Anno 305. Nicænum Anno 325. Toletanum VIII. Anno 655. & Trullanum Anno 680. & in tit. De Vita & Honestate Clericorum in Decretalibus in Libro VI. in Clementinis, & in Extravagantibus. Hanc opinionem amplexi sunt Hurtadus, Perez de Matrim. Rebellius, & alii apud Gobatum trad. 8. num. 755. ac etiam novissimè Diana in Opere Coordinato tom. 3. trad. 1. res. 77. quæ in Veteri est part. 8. trad. 1. res. 72. cui adhæret Cotonius lib. 5. contr. 1. n. 297.

Tandem Corollarit loco, notandum est tribus in casibus Ordinatos in Sacris non esse obligatos servare castitatem. Primus est, si ordinatio esset invalida ex defectu materiæ, nam Votum castitatis est accessorium ad ordinationem; undè si hæc sit invalida, neque Votum valet, Salmanticenses, de Sacram. Ord. d. trad. 8. cap. 6. n. 41. qui secus dicendum advertunt in professione invalida Regularium; hi enim cum verè voverint castitatem, tenentur ad illam, sed ex vi simplicis Voti. cap. Quidam, & cap. Placet, de Convers. Conjugator. Secundus casus est, si ordinetur Puer ante usum rationis, nam ordinatio est quidem valida, et si illicita, tamen ordinatus, nisi illa ratiocinetur in annis pubertatis, non est obligatus servare Castitatem. Salmanticenses, alios allegantes DD. dist. trad. 8. cap. 6. num. 42. & 43. Tertius casus est, si quis ordinetur per vim, & metu gravem cadentem in consensum Virum, & in hoc casu, si expressè protestetur, se nolle ordinari, certum est, invalidam fore ordinationem, & nullam adesse obligationem castitatis. At si consentiat in Ordine, et si gravissima violentia adductus; discordes sunt DD. circa obligationem castitatis; alii enim negant, alii affirmant, ut videre est apud eisdem Salmanticenses, qui pro utraque parte rationes adducunt, & examinant d. trad. 8. cap. 6. à num. 45. §. segg. ac DD. citant, quibus ego addo Decisionem Rotæ Magistralem part. 6. recent. dec. 40. à Studiofis videndam.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Ne Clerici Sæculares in Sacris cogantur cum dedecore Ordinis mendicare, ordinari non debent ex Jure Canonico antiquo, medio, ac novissimo, nisi habeant, unde honestè vivere possint. Contrarium effutierunt Marcellus Paduanus, Joannes Wicleff Anglus, & Martinus Lutherus Hæresiarhæ ab Ecclesia damnati. Explicantur tres Tituli pro initiandis Clericis Ordinibus Sacris, scilicet Beneficium, Pensio, ac Patrimonium; nec non pro Regularibus titulus Professionis Religiosæ. Circa eosdem omnes Titulos recententur requisita necessaria, & plurimæ Quæstiones scitu dignæ, ac perpulchræ examinantur, & resolvuntur.

SUMMARIUM.

- 1 Titulus necessarius ad suscipiendos Ordines Sacros pro alimentis.
- 2 Hereticorum doctrina contra beneficia Ecclesiastica.
- 3 Marcellii Paduani heretici error contra bona temporalia Ecclesiarum.
- 4 Joannis Wicleffi heretici idem error, & blasphemie multe.
- 5 Lutherus idem dogma hereticale docet.
- 6 Militibus debita sunt stipendia.
- 7 S. Hieronymi tempore Clerici non ordinabantur sine patrimonio.
- 8 Chalcedonense Concilium Anno 450. requirit titulum sustentationis in ordinandis.
- 9 Urbanus II. renovat Anno 1092. præceptum ejusdem tituli.
- 10 Alexandri III. dispositio circa eundem titulum ordinandorum.
- 11 Innocentii III. altera Constitutio pro ipso titulo.
- 12 Concilii Tridentini Decretum pro titulo Sacrorum Ordinum.
- 13 Tituli quatuor pro Ordinibus Sacris, Beneficium, Pensio, Patrimonium, & Professio Religiosa.
- 14 Beneficium pro Ordine Sacro sumendo quatuor requisita.
- 15 Patrimonium Clerici nobilitati debet esse majoris summe, quam Clerici ignobilis.
- 16 Beneficium, ad cuius titulum quis fuit ordinatus, quomodo resignari possit.
- 17 Coadjutorie ad titulum an quis possit in Sacris Ordinari?
- 18 Beneficio insufficienti jungi potest pars Patrimonii pro ordinando Clerico in Sacris.
- 19 Pensio servit pro titulo ad Ordines Sacros.
- 20 Pensiones an ab Episcopis possint imponi super beneficiis?
- 21 Pensiones à paucis promptè solvantur.
- 22 Gregorii Cardin. Barbadii eximia cbaritas erga Clericum pauperem.
- 23 Præsentia quid sint? Et an serviant pro Ordinibus Sacris.
- 24 Patrimonia pro Sacris Ordinibus quæ, & qualia esse debeant?
- 25 Subdiaconus ordinatus cum suo Patrimonio an sit suspensus?
- 26 Patrum de non petendo Patrimonio an sit irritum, vel irritet Patrimonium ipsius?
- 27 Patrimonii renunciatio absque licentia Episcopi, si ordinatus aliud habeat, ut honestè vivat, an valeat?
- 28 Seminarii ad titulum an possit alumnus Ordinari in Sacris?

- 29 Seminarium Patavinum facit Ordinare suos Clericos in Sacris.
- 30 Abbatia Montis Crucium, & Cortoroduli unita est Seminarium Patavino, per Cardin. Barbadicum pro Ordinandis Clericis.
- 31 Eleemosynarum certarum ad Titulum an Clerici possint Sacris initiari? Exemplum Venetiarum.
- 32 Regularis professi Ordinatur in Sacris ad titulum Paupertatis.
- 33 Regularis sciens suam Professionem esse irritam, suscipiens Ordines Sacros incurrit poenam suspensionis, & irregularitatis.
- 34 Quando effugiatur dictas poenas.
- 35 Professio invalida censetur ratificata per susceptionem Ordinis Sacri. Contrarium n. 36.

Post Subdiaconorum obligationes, quas contrahunt recitandi officium, & servandi castitatem, aliam explicare oportet ipsam incumbentem, antequam ad ipsum sacrum Ordinem promoventur; scilicet ut habeant sufficientem titulum ad propriam sustentationem, ne cum Ordinis dedecore mendicare cogantur. Pro cujus obligationis majori intelligentia sciendum est, transactis sæculis non defuisse hereticos homines, qui non valentes adipisci pingues Ecclesiasticas Præbendas, quas affectabant, in odium Prælatorum illas possidentium, docere ceperunt, eas esse illicitas, nec à Clericis possidendas, & multò minus ab Episcopis; utpote Apostolorum Successoribus, & imitatoribus Christi, cujus, & quorum vita in paupertate expressè manifesti. Inter hujusmodi heterodoxos præter Hufitas, de quibus meminit Illustrissimus Episcopus Baptaglinus, vulgari idiomate, sed eruditocalamo, in Annalibus Sacerdotii, & Imperii Anno 1626. num. 2. tom. 2. recententur à Salelle in trad. de S. Inquisit. lib. 3. cap. 14. num. 16. Marcellus Paduanus, qui asserbat Anno 1117. Ecclesiasticos viros non posse ullas divitias possidere, nec agros, nec alia bona ob prædictum Christi, & Apostolorum exemplum, quam hereticalem doctrinam, et si ab Ecclesia damnatam, reasumpserit Joannes Wicleffus natione Anglus, qui inter cæteros errores, quos Anno 1378. effutire, ac docere cepit, affirmabat, contra Scripturam Sacram esse, quòd Viri Ecclesiastici habeant possessiones. Decimas puras eleemosynas fore, & eas Parochianos ad libitum suum auferre posse ob suorum Prælatorum peccata. Religiosos teneri per labores manuum sibi victum acquirere. Errasse S. Sylvestrum Papam, & Constantinum Imperatorem Ecclesias ditando. Sanctos Augustinum, Benedictum, ac Bernardum, nisi poenitentur, damnatos esse, ex eo quòd instituerint Religionis bona temporalia retinentes; ut refert idem Salelles d. lib. 3. cap. 16. à num. 245. §. segg. qui quidem Wicleffus damnatus fuit in Concilio Constantiensi sub Joanne XXII. Anno 1415. ut legitur in Tomo IV. Concil. ad præd. Concil. Constantiense sess. 8. pag. mibi 270. ubi referuntur omnes errores ejusdem Wicleffi; cujus ossa exhumari idem Concilium decrevit, & extra locum Sacrum projici tamquam heretici impudentis, quòd etiam legitur apud Emin. Card. à Turrecremata in Summa de Ecclesia part. 2. lib. 4. cap. 38. & apud Odoricum Raynaldum in Annalibus Eccles. ad Annum 1415. num. 34. Hunc eundem errorem, & hereticale dogma suscitavit Lutherus Anno 1520. docendo, Ecclesiam, seu Ecclesiasticas personas non posse, nec debere bona, agros, ullasve possessiones habere; susudendo Principibus secularibus, ut Ecclesias suis rebus spoliarent; quòd factum fuit pluribus in locis Germaniæ, ac Galliæ, ut latius ex approbato Auctoribus demonstrat idem Salelles d. lib. 3. cap. 18. num. 54.

Cæterum doctrina Catholica, & mens Ecclesie, semper fuit, ut ejus Ministri, præsertim in Sacris ordinati, haberent, undè honestè vivere possent; nec cogentur mendicare, & hoc ob plures causas, ac rationes. Prima est, quia mendicitas Clerici cedit in dedecus Ordinis Clericalis, cap. Diaconi sunt, dist. 93. & cap. ad supplicationem. De Renunciat. Secunda, quia cum dicat Glossa in cap. Cum secundum. Verb. Obsequium. De Præbend. quòd Non sibi, sed Domino gravis est, cui servit egestas; si Clericus egeat, redundat in opprobrium ejus, in cuius sortem, seu hæreditatem assumptus est, cap. Clerici, 21. dist. Tertia, quia cum eligatur ad onus, repelli non debet à mercede, cap. Charitatem, cum duob. segg. 12. qu. 2. Quarta, quia ut ait Apostolus 1. Cor. 9. Qui Altari servit, de Altare vivere debet. Quinta, quia Clerici sunt milites Christi; sed militibus debita sunt stipendia, quibus vivant, & de his solliciti erant Imperatores Romani, ut notat Svetonius, in Claudio cap. 25. undè subdit Apostolus 1. Cor. 9. 7. Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Igitur irreprehensibilis est determinatio Ecclesie, ut ejus Ministri habeant, unde honestè vivant. Nec vim facit Christi Domini, aut Apostolorum paupertas, quia hi paupertatis votum fecerunt, prout etiam Doctores autumant fecisse etiam Christum, quos refert Cornelius à Lapide in Ad. Apostol. cap. 5. sub Vers. 2. Sed Ministros Ecclesie ad hoc paupertatis votum non obligavit. Idcirco Ratio principalis, ob quam Ecclesia prohibet ordinari Subdiaconum non habentem, undè honestè vivat, utique in eo consistit, ne cogatur mendicare cum dedecore habitus, ac ordinis Clericalis, ut notant omnes Canonistæ, ac Theologi. Fagnanus in cap. Cum secundum, 16. num. 28. de Præbend. Barbosa allegat. 19. à num. 1. & segg. Pax Jordanus lib. 3. tit. 6. num. 293. Gobatus de Sacram. Ordin. trad. 8. num. 602. & Salmanticenses eod. trad. 8. cap. 6. num. 61. ubi citantur verba Concilii Tridentini in sess. 21. cap. 2. sic loquentis: Cùm non deceat eos, qui Divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut fructum aliquem questum exercere. Hinc antiquissimum fuisse morem in Ecclesia, ut nullus ordinaretur absque sufficienti sustentationis titulo, adeò verum est, ut multi ex DD. quos citat Gonzalez in Commentar. ad cap. Episcopus, 4. de Præbend. num. 9. arbitrentur, illum viguisse etiam tempore S. Hieronymi, scilicet Anno 350. ob verba ejusdem Sancti relata in cap. ult. 16. qu. 1. ubi scribens ad S. Damasum Papam ait: Clericos autem illos convenit Ecclesie stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur. Sed quidquid sit de origine hujus tituli sustentationis, de ipsa præceptum fecit.

Primum, Anno 450. Concilium Generale Chalcedonense in can. 6. qui habetur in cap. Neminem dist. 70. cujus hæc sunt verba secundum Balsamonis versionem apud eundem Gonzalez ubi supra. 7. Neminem absolutè ordinari (præcipimus) nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in Ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel Maritimo, vel Maritimo, qui ordinatur, designentur, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel Maritimo, vel Maritimo, qui ordinatur, designentur. Eos autem, qui absolutè ordinantur, decrevit Sancta Synodus irritam, & invalidam haberi ejusmodi manuum impositionem, & nusquam exercere, ac operari posse, ad ejus, qui ordinavit, injuriam. Quibus verbis ostenditur, tunc temporis ordinandum prius debuisse esse designatum, id est institutum in aliqua Ecclesia, ex cujus redditibus honestè vivere posset, alias ordinatio esset irrita quòd ad executionem, itaut ordinatus suspensus ab ordine, ut notat ibi Glossa, & Barbosa, atque omnes scribentes. Hoc idem præceptum innovavit brevioribus, sed clarioribus verbis Urbanus II. in Concilio Placentino, Anno 1095. quæ



9 quæ referuntur in cap. Sanctorum, eodem diff. 70. videlicet: Sanctorum Canonum statuta consona Sanctitate decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur: non quo ad characterem, & validam ordinis collationem; sed quo ad executionem, ut dictum est, quia ordinatus sine titulo suspensus erat à divinis. Sed quoniam vel ex Episcopo incuria, vel ordinandorum audacia, frequentia succedebant scandala ob Subdiaconos sine titulo ordinatos, qui ordinem exequentes, licet suspensi, evadebant irregulares, idè

10 Medium Jus Canonicum emanavit, huic malo opportunè occurrens; nempe Alexander Papa III. Anno 1160. in cap. Episcopus 3. de Præbendis, in quo ita statuit: Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vita percipiat in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit; tandùm ei necessaria subministrat, donec in aliqua Ecclesia, ei convenientia stipendia militiæ clericali assignet. Nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hereditate subsidium vite possit habere. Verùm, quia deinde dubitabatur, an ordinati incurrerent, ut antea in penam suspensionis, cum titulum non haberent, etsi ab ordinatore alimenta reciperent? eos non incurrere indicam penam declaravit Innocentius III. Anno 1198. in cap. Cum secundum Apostolum. eod. tit. de Præb. ubi præmissa convenientia ejusdem tituli, & honestæ sustentationis, subiungit: Licet autem Prædecessores nostri, ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur in injuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanes: Nos tamen benignitas agere cupientes tandùm per Ordinatores, vel successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur. Duo itaque continet de novo hæc Innocentii III. declaratio. Unum, quod ordinati sine titulo, sive super sola possessione. Barbofa d. alleg. 19. num. 19. Jordanus d. tit. 6. num. 304. & 305. ubi explicat litem, quæ concerneret tantummodò aliquod particulare prædium beneficii pacificè possessi, tunc enim non impediret ordinatio beneficiarii, dummodò bona non litigiosa, quæ supersunt, sufficient ad ejus congruam sustentationem. Glossa in cap. Commissa de Elect. in 6. Verb. Pacificam. Item Glossa final. in cap. Si tibi concessio. De Præb. in 6. Tertium requisitum est, ut prædictum beneficium, vel capellania sit sufficiens ad sustentationem Subdiaconi ordinandi. Garzias de Benefic. part. 2. cap. 5. à num. 107. & seqq. Diaz in Praxi Crimin. cap. 18. num. 4. Sufficiens autem determinatio non est à jure taxata, sed relinquatur arbitrio Episcopi, ut respondit Sac. Congregatio apud Parisium d. lib. 2. qu. 6. n. 14. & Garziam d. cap. 5. num. 112. in quo quidem arbitrio formando, attendenda est consuetudo regionis: sed An hæc æqualiter procedat in Clericis ordinariæ conditionis, ac in nobilibus, & qualificatis? Dissensio est inter DD. quos pro utraque opinione citat Jordanus 112. d. lib. 3. tit. 6. n. 296. & seqq. ubi satis esse, ait, servare id, quod ordinariè servatur. Ego autem, pace tanti Viri, contrarium dicendum censeo, quia in persona Nobili, vel graduata opus est majori Summa ad ejus decentem, honestamque sustentationem; nam opus habet majori famulatu, hospitalitate, vestitu, & similibus convenientiis, à quibus Clerici ordinariæ conditionis possunt abstinere, non autem Nobiles, vel graduati. Quare hanc opinionem tenet Garzias d. part. 2. cap. 5. num. 115. & Ignatius in addit. ad Diaz d. ca. 18. n. 4. nec non Salmanticenses in d. tract. 8. cap. 6. num. 67. & novissimè Pignatellus in d. cons. 168. num. 33. Quartum requisitum est, ut hujusmodi beneficium quod Subdiaconatus ordini deserivit pro titulo, renunciar non possit, nisi facta expressa mentione, quod renuncians ad illius titulum fuerit ordinatus, & quod resignans habeat, undè commo-

13 Attento itaque hoc jure novissimo Concilii Tridentini, tres sunt tituli, ad quos Subdiaconi ordinari possunt, si sint Clerici sæculares: Beneficium Ecclesiasticum, Penso, & Patrimonium; quibus quartus addendus est pro ordinatione Regularium, nempe Professio in Religione approbata. Lezana in Summa tom. 1. cap. 14. num. 10. ubi citat Navarum in Manuali cap. 27. num. 258. & S. Antonium 3. part. tit. 14. dicentem, quod Regularibus pro titulo deserivit porta, & pro illis extat Constitutio 75. S. Pii V. Incipien. Romanus Pontifex. Et de prædictis omnibus titulis, quia multa dispuant tum Theologi, tum Canonistæ, de eorum singulis quæ magis scitu sunt necessaria, hic annotabimus.

Beneficium Ecclesiasticum est primus Titulus, ad quem Clericus sæcularis promoveri potest ad Ordines Sacros; sed quatuor requisita circa beneficium sunt observanda. Primum est, quod beneficium (sive simplex, sive Curatum) sit perpetuum; ideoque beneficia amovibilia, prout capellanæ manuales, deservire non possunt pro Sacris Ordinibus suscipiendis. Sanchez in Consil. Moral. lib. 7. cap. 1. d. ub. 25. n. 5. Philibertus de Ordine tract. 2. part. 6. cap. 6. n. 17. Barbofa alleg. 19. num. 25. Parilius de Resign. benef. lib. 2. quest. 6. num. 2. Jordanus d. lib. 3. tit. 6. n. 308. ubi alios allegat. Secundum, ut ejusdem beneficii ordinandus habeat pacificam possessionem; non enim sufficit nominatio, præsentatio, electio, aut etiam institutio; sed debet esse inductus in possessionem, & quidem pacificam; quæ talis esse censetur, quando circa eam nulla est lis, vel controversia juris, vel facti, in Judicio, vel extra. Felinus in cap. Joannes. num. 33. de Fide Instrum. Idcirco lite extante ab ordinatione est abstinendum, sive lis sit super proprietate beneficii, sive super sola possessione. Barbofa d. alleg. 19. num. 19. Jordanus d. tit. 6. num. 304. & 305. ubi explicat litem, quæ concerneret tantummodò aliquod particulare prædium beneficii pacificè possessi, tunc enim non impediret ordinatio beneficiarii, dummodò bona non litigiosa, quæ supersunt, sufficient ad ejus congruam sustentationem. Glossa in cap. Commissa de Elect. in 6. Verb. Pacificam. Item Glossa final. in cap. Si tibi concessio. De Præb. in 6. Tertium requisitum est, ut prædictum beneficium, vel capellania sit sufficiens ad sustentationem Subdiaconi ordinandi. Garzias de Benefic. part. 2. cap. 5. à num. 107. & seqq. Diaz in Praxi Crimin. cap. 18. num. 4. Sufficiens autem determinatio non est à jure taxata, sed relinquatur arbitrio Episcopi, ut respondit Sac. Congregatio apud Parisium d. lib. 2. qu. 6. n. 14. & Garziam d. cap. 5. num. 112. in quo quidem arbitrio formando, attendenda est consuetudo regionis: sed An hæc æqualiter procedat in Clericis ordinariæ conditionis, ac in nobilibus, & qualificatis? Dissensio est inter DD. quos pro utraque opinione citat Jordanus 112. d. lib. 3. tit. 6. n. 296. & seqq. ubi satis esse, ait, servare id, quod ordinariè servatur. Ego autem, pace tanti Viri, contrarium dicendum censeo, quia in persona Nobili, vel graduata opus est majori Summa ad ejus decentem, honestamque sustentationem; nam opus habet majori famulatu, hospitalitate, vestitu, & similibus convenientiis, à quibus Clerici ordinariæ conditionis possunt abstinere, non autem Nobiles, vel graduati. Quare hanc opinionem tenet Garzias d. part. 2. cap. 5. num. 115. & Ignatius in addit. ad Diaz d. ca. 18. n. 4. nec non Salmanticenses in d. tract. 8. cap. 6. num. 67. & novissimè Pignatellus in d. cons. 168. num. 33. Quartum requisitum est, ut hujusmodi beneficium quod Subdiaconatus ordini deserivit pro titulo, renunciar non possit, nisi facta expressa mentione, quod renuncians ad illius titulum fuerit ordinatus, & quod resignans habeat, undè commo-

16 de sustentari possit, juxta Decretum ipsius Sac. Con-

Concilii Tridentini d. sess. 21. cap. 2. & concordem omnium DD. assertionem, quos cumulat Jordanus d. tit. 6. num. 321. & Rotam Romanam relata à Barbofa d. alleg. 19. num. 34. cujus vigore in Tiocinio Advocati Ecclesiastici mei ipsius, quinquaginta ab hinc annis, in hac Curia Episcopali Patavina, defendi, & manentem obtinui in possessione Beneficii Curati Villæ Cortelate Senem Parochum; qui sibi meum imploraverat patrocinium, adversus quemdam Presbyterum Etsensem, à quo malis artibus extortum fuerat mandatum Procuræ pro libera resignatione illius non tenus beneficii. Expedite erant Romæ litteræ resignationis, & pro earum executione præsentate coram Vicario Generali Marco Marchiano Abbate executoro Apostolico, quas ego impugnavi, cum repererim, prædictum Senem fuisse promotum ad Sacros Ordines ad titulum illius beneficii, de qua ordinatione nihil dictum fuerat in resignatione; quæ propterea fuit declarata nulla; ac resignatarius licentiatum cum condemnatione expensarum juxta meritum ejus indebitæ operationis.

17 Quærit ulterius DD. an Subdiaconus possit ordinari ad titulum Coadjutorie? Et respondet affirmativè, si in ea sit assignata congrua portio fructuum pro suo labore, ac residentia. Garzias d. p. 5. cap. 2. n. 132. Barbofa d. allegat. 19. num. 30. Vivianus de Jure patr. lib. 5. cap. 1. n. 88. & Jordanus d. lib. 3. tit. 6. num. 315. prout etiam ad titulum quotidianarum distributionum, quando certæ sunt, secus autem si dependant ab elemosynis, aut aliis emolumentis incertis. Sacra Congregatio, quam refert Jordanus ubi proxime num. 317. & Pignatellus d. tom. 9. Consult. 168. num. 34. & ibi Rota coram Comito Decif. 70. n. 14. Sed utrum beneficio insufficienti possit jungi aliqua pars Patrimonii, quæ reddat illud sufficiens, & sic ad illius titulum ordinari? Affirmativè respondit Sacra Congregatio, quam refert Garzias d. part. 2. cap. 5. n. 111. ea ratione, quia non curatur de modo, quando haberi potest effectus, cumque ex duobus de per se insufficientibus, sed unitis sufficientiam causantibus possit Subdiaconus honestè vivere, poterit ad talem titulum ordinari. Jordanus d. tit. 6. num. 316.

Penso est alter Titulus canonicus, ad quem Subdiaconus potest ordinari, dummodò sit sufficiens quo ad annuum summam, vel respectu consuetudinis regionis, vel qualitatibus Pensionarii ad arbitrium Episcopi, ut dictum est de sufficientia beneficii; & dummodò sit perpetua, idest concessa per Papam; quia extra controversiam est, quod Episcopi non possunt imponere Pensiones perpetuas super beneficiis, nec aggravare beneficium, & successores in ipsum, sed tantùm Pensiones temporales, duraturas, donec duret in beneficio beneficiarius ille, quem Episcopi voluerint gravare ad solvendam Pensionem alicui Clerico ob justam causam. Abbas in cap. Conquerente num. 5. de Clericis non resid. Gigas de Pensionib. q. 6. à num. 2. & seqq. Garzias de Benefic. par. 1. cap. 5. §. 2. à num. 295. Jordanus tom. 2. lib. 9. tit. 1. num. 489. ubi innumerum DD. & Rotæ Decisiones congerit; quibus novissimè additipluratur Tondut. in tract. de Pensionib. cap. 1. per tot. In praxi tamen rarissimè ordinantur Clerici ad titulum Pensionis Ecclesiasticæ, quia pauci sunt beneficiarii, qui promptè eas solvant, permitti autem qui litigiis, & cavillationibus pensiones involvant, ac eas solvere detrectent, ut didici in hac Curia Episcopali, & dum Advocati, & dum Auditoris, ac Vicarii Generalis munus exercerent. Hic autem recensendus venit eximie actus charitatis Eminentiissimi, ac Reverendissimi, Gregorii Cardinalis Barbadii Episcopi Patavini, quondam Heri mei Venerabilis, qui volens promovere ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem Clericum pauperem, quem in Episcopo pio alebat, & deputaverat tum ad legendum in Men-

sa, tum ad registrandum relationes Scholarum Doctorinæ Christianæ, numerum operatorum, ac discipulorum, qui singulis Dominicis diebus ad eam convenerant explicandam respectivè, ac discendam, continentes; & quæ à trecentis & ultra Parochiostius hujus Diocesis ministrantur ad Eminentiam suam transmittentur, (quo in officio legendi, ac registrandi prædictus Clericus erat diligens, & assiduus) Pensionem annuam Ducatorum quadraginta, prævio Summi Pontificis assensu, imposuit super fructibus Abbatie Sanctæ Mariæ de Busco, quem Eminentia sua in commendam tenebat; & litteras Apostolicas pro eadem Pensione suis expensis expeditas consignavit antedicto pauperi Clerico dicens: Accipe titulum, ut promovearis ad Ordines Sacros, Pensionem scilicet à me mihi impostam super mea Abbatia. Hanc enim certus sum, quod promptè exigas à me; non etiam ab alio, si super alio beneficio ad tui favorem illum imposuisses. Sed hæc obiter in laudem, reverentiam, & gloriam tanti Præfatis.

Similitudinem cum Pensionibus Ecclesiasticis habent Præstimonium, quæ sunt in usu apud Hispanos; & dicuntur esse certi redditus abtracti ex redditibus beneficiorum, juvenibus concessi, ut studiis vacare possint, ut notant Salmanticenses d. tract. 8. cap. 6. n. 69. & Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 2. n. 15. quæ deservire possunt pro titulo ad Ordines Sacros, quia conferuntur in perpetuum: nec possunt resignari, prout Pensiones non valent extinguere, vel aliis obligari nisi ordinatus habeat aliunde honestam sustentationem; & licentia Episcopi interveniat, ut decernit Concilium Tridentinum in cit. sess. 21. cap. 2.

Patrimonium est tertia species Tituli, ad quem Subdiaconi promoventur ad Sacros Ordines; consistit autem in possessione temporalium introituum, qui annuatim exigantur, & sufficient ad vitam ordinati sustentandam. Garzias d. p. 2. cap. 5. n. 74. & 75. Jordanus d. lib. 3. tit. 6. num. 323. & 324. atque Salmanticenses d. tract. 8. cap. 6. num. 76. & 77. dicentes, quod hoc Patrimonium debet esse certum, fundatum in re immobili, ac frugifera, pacificè possessum, ære alieno non onulatum, nec alteri hypothecatum; ac illius quantitatis, quam requirit usus regionis, quæ in hac Diocesi Patavina ex Synodalibus Constitutionibus quondam Illustrissimi, ac Reverendissimi Marci Cornelii Sanctissimi Antistitis de Anno 1620. esse debet Ducatorum Venetorum quadraginta L. 6. 4. pro Ducato; quæ summa est rigorosè loquendo non sufficiat ad victum, & vestitum unius Clerici, nihilominus prælaudatus Eminentiissimus ac Reverendissimus Cardinalis Barbadius Episcopus Successor, in sua Synodo Anni 1670. noluit eam augere, miserum paupertati hujus Urbis incolarum, ne magis difficilem faceret viam ad vitam Ecclesiasticam illis, qui mediocrem habent bonorum fortunam. Igitur non habens beneficium Ecclesiasticum, neque Præstimonium, aut Pensionem poterit ad Sacros Ordines ascendere ad titulum Patrimonii, si sibi realiter cum supradictis requisitis assignetur vel à parentibus in primo, aut secundo gradu tantum, juxta Synodum Patavinam prædicti Anni 1620. vel etiam ab extraneo donatum, Episcopo consentiente; & hæc assignatio est præcisè necessaria, etiam si quis haberet Patrem divitem, vel facultatum locupletem, ut notant omnes DD. Parilius de Resignat. lib. 2. q. 6. à num. 22. & seqq. Garzias d. part. 2. cap. 5. n. 77. Jordanus d. lib. 3. tit. 6. n. 333. & Salmanticenses d. cap. 6. n. 77.

Plura verò sunt quæstia, quæ faciunt Theologi, ac Canonistæ circa hujusmodi Tituli Patrimonialis constitutionem; quorum duo tantum, brevitate gratia, hic referam, cætera apud DD. & præcipuè apud Parisium, Garziam, Barbofam, Jordanum, ac Salmanticenses locis supracitatis videnda relin-

quens.



